

sive soli in Theologiâ Morali & studio Controversiarum fidei solerter exerceant, ut in Urbem Nostram vocati, sicut & in Capitulis Ruralibus coram Commissarijs nostris ad functiones ejusmodi deputandis cum honore subsistant.

CAPUT VI.

De Prudentia Parochi.

Estote ergò prudentes sicut serpentes, & simplices sicut Columbae. Matth. 10. Dabat Christus hoc monitum suis Discipulis, quando eos ad curam animarum disponebat, significans quantopere necessaria sit omnibus

bus prudentiæ virtus, qui id munus in se suscipere cogitant. Definitur autem Prudentia : Virtus consulens , judicans & imperans , quid in singulis circumstantijs fieri debeat pro fine obtinendo. Requiritur imprimis in Curatore animarum in *docendo* , ut deliberet , quæ materia sit auditoribus suis necessariâ , utilis & accommodata. In *Confessionali* , ut judicet , quæ circa pœnitentem formanda sint interrogatoria , an severitas vel mansuetudo adhibenda , quæ instructio necessariâ &c. In *corrigendo* , ut circumspiciat , coram quibus , quando , quâ verborum formâ utiliter possit & debeat fieri correctio. In *conversando* ,
 ut

ut noverit, qualiter cum sum-
mis, infimis, doctis, rudibus, sa-
nis & infirmis sit agendum. Ver-
bo, prudentia debet esse modera-
trix & auriga omnium actionum
Parochi, quâ solâ sublatâ etiam
virtutes illius non manebunt vir-
tutes, sed degenerabunt in vitia:
videlicet sicut sal est condimen-
tum ciborum, & absq; eo omnis
mensa est insipida, ita sine pru-
dentiâ & discretionem omnes Pa-
rochi actiones sunt præcipites,
insipidæ, inconsideratæ, & com-
muniter scandalosæ.

Porrò medium hanc Pruden-
tiæ virtutem acquirendi pri-
mum est mortificatio passionum
appetitûs concupiscibilis & ira-
scibi-

scibilis; hæ enim oculum rectæ
 rationis potissimum excæcare
 solent & efficere, ut homo præ-
 cipitanter & sine consilio agat.
 Secundum est Examen & dis-
 cussio propriarum actionum,
 negotiorum, casuum, succes-
 suum &c. quam discussionem
 qui negligit, post plures annos
 æq; incautus ac antea existet.
 Tertium est reflexio ad mores &
 actiones aliorum hominum &
 ad successus rerum eorundem:
*Felix enim quem faciunt aliena pe-
 ricula cautum.* Quartum est peti-
 tio consilij virorum prudentum.
 Quintum, consideratio propriæ
 indolis, vitium, inclinationis &
 complexionis naturalis. Sextum
 deniq; est matura præmeditatio
 eorum,

eorum , quæ ex negotijs nostris sequi possint ; ut ita nihil nobis eveniat improvifum : stultum est enim postea dicere : *non putarâm* ; prudens autem omnia prius considerat.

CAPUT VII.

De Predicatione Verbi Divini.

S. I.

*De obligatione ad prædicandum ,
& sine predicationis.*

Obligationem Parochi ad prædicandum Verbū DEI proponit Tridentinum *Seff. 5. de reform. c. 5.* his verbis : *Plebani , & qui-*